

In mediosq; ruens magnis clamoribus hostes  
 Instigansque suos, capta trophæa tulit.  
 Hoc Chronicon nostræ terræ est commune **Theatrum**  
 Regentumq; vices, fataq; mira refert  
 Inclita victuris intexens facta libellis  
 Et vitam reddens post sua fata viris.  
 Instruit exemplis orientia tempora priscis  
 Nec puerorum instar nos sinit esse rudes.  
 Gnaraq; præteriti, casus præfaga futuri  
 Consiliis arcet tristia damna suis.  
 Fortunæq; jubet memores, quæ tollit in altum  
 Obscuros, celebres attenuatq; viros.  
 Et mores hominum ductos meliore Metallo  
 Et veterum ritus, juraq; sancta Docet  
 Et primo antiquos deducit origine **Duces**  
 Nomina non ulla, non memoranda die.  
 Hoc docet & quis Dux ille Inclutus ense fideq;  
 Saxonix Albertus firma columna domus.  
 Quæ Stirps Cirkzenia, & qui clari sanguinis autor  
 Qui Stirpis famam primus in astra tulit.  
 Nam Comes Ulricus stimulis potentibus actus  
 Addidit huic Stirpi primitias comitis.  
 Filius Edzardus, qui vero nomine Magnus  
 In castris summam vixit ad usq; diem.  
 Quales enim quondam chironis alumnus in armis  
 Hæctora qui circum mœnia traxit erat.  
 Talis & hic validam, quoties surgebat ad hastam,  
 Sed fidei fama justitiæq; prior.  
 Plurima præterea & Laudati Principis acta  
 Gestaq; pro Patria bella & Ubiq; refert.

Fris